Quelle: https://manuscripta.at/?ID=772
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Horum quippe qui imperant differentia, vel diversitas. non debet impe-
dire obedientium propositum. quia neque moyses increpans extitit socero
suo ietro. cum utilia moneret. ac iusta. Com[m]unicionum sane non parva
est diversitas. Alii namque contrarii videntur esse mandatis dei. alii vero
interrumpere mandatum vel contaminare illud videntur. alii vero
ad explendum ... aliqui ad edificandum veniunt. Necessarium quoque est meminisse
apostoli precepti dicentis. prophetias nolite spernere. Omnia autem probate. quod
bonum est tenete. ab omni specie mala abstinete vos. Et verum. Cogitatio
nes purgantes vel destruentes omnem altitudinem extollentem se ad
versus scientiam dei. et captivantes omnem intellectum ad obediendum christo.
Si quid ergo est quod conveniat cum mandato dei. et anime expediat et hoc
nobis ab aliquo fuerit imperatum. velut voluntatem domini promptè et libenter
debemus accipere. et explere quod dictum est. obtemperantes invicem in
caritate christi. Si autem contrarium aliquid mandatis dei. vel quod ea cor
rumpere videatur. aut contaminare. iubeamur ab aliquo facere.
tempus est nos dicere. obtemperare oportet magis deo. quam hominibus.
et rursum meminisse domini dicentis. alieni autem vocem non se
cuntur. sed fugiunt ab eo. quoniam nesciunt alienorum vocem. Sed et sancti apostoli
meminisse debemus. qui ad nostram cautelam ausus est nec angelis qui
dem parcere dicens. Etiam si aut angelus de celo evangelizaverit vobis
preter quam quod evangelizavimus vobis. anathema sit. Ex quo docemur ut etiam si valde nobis carus sit aliquis. etiam si magnificus
habeatur. et in admiratione sit positus. qui prohibet nos facere quod
a domino preceptum est. vel rursum imperat fieri quod dominus fieri prohibuit. exe
crabilis debet esse qui eiusmodi est omnibus qui diligunt deum.

Quali affectu debet quis servire deo. et iste affectus quid est.
Affectum bonum vel animum illum ego esse arbitror. cum desiderium vehemens.
et inexplicabile et immobile inest nobis placendi deo. Impletur autem